



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús María>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. XX. Monet contemplationem diuinorum perfectionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

repræsentant innocentissimam vitam meam. Propter quod filij mei, estote sapientes, & hunc librum vitæ, statis horis, legite, atquè relegite. Hæc sit perennis exercitatio vestra omnibus doctrinis altior, & omni thesauro pretiosior: quæ ad omnem euentum confirmabit humilia, & casta corda vestra. Legant alij curiosas, vel vanas terrenorum regum historias, è quibus occasio nem suæ vanitatis, & damnationis eliciunt: Vos vero audiissimè studeatis historiæ meæ, quæ mites animos, & æternæ salutis desideria creat. Et ego piis affectibus vestris misericorditer respondebo: & extincto mundi desiderio traham vos in funiculis humanitatis meæ, ut dum visibiliter me cognoscitis, præsentissimo auxilio meo, in rerū inuisibilium amorem rapiamini: & de seauissima consideratione vitæ meæ in diuinitatis notitiam, ubi fons æternæ consolationis manat, ascendatis.

CAP. XX.

*Monet contemplationem diuina-
rum perfectionum.*

G 5 Beati

BEATI mundo corde, quoniam i-
psi in cœlesti patria Deum clarè vi-
debunt, & in vita quoque mortali, for-
mosa valdè luce mea illustrabūtur, vt
quod maius omnibus est, purgato mē-
tis oculo cognoscant. Hæc est pars ma-
gna sapientiæ iustorum, qui respuen-
tes omnem mundi sollicitudinem, in-
estimabili suavitate, spectacula æter-
na, & inuisibilia contemplantur; vt ad
infinitam bonitatem, ac pulchritu-
dinem meam, benè affecti, omnē glo-
riam hominum despiciant, & ex toto
corde me diligent. Hæc est prudentia,
quam fortissimi milites mei, abnegati-
one sui, & eleuatione mentis, supra
omne, quod videri potest, compara-
runt. Hic est thesaurus absconditus, cuē
qui inuenit homo, vadit, & præ gaudio
illius, vendit omnia, quæ habet, donat
que pauperibus, & promptissima vo-
luntate sequitur me. Propter quod, filij
mei, si desideratis cognoscere, & me,
& clemetissimum Patrem meum, abij-
cite curas alias, & à finibus Tyri, & Si-
donis, ubi auditur strepitus negotiato-
rum mundi, ad montem Visionis, citò
recedite.

recedite. Scitote, quia non habitat bonum in carne vestra: & proinde ab ea quoque discedite, & sensuum officia parce permittite: Ut ad verticem Phasga, erectione cordis ascendentibus, exploratis a longè terram æternæ promissionis, ubi gustatur fructus paradisi mei. Surgite super vos ipsos, & quantū fert humana fragilitas, oculos mentis in candore lucis æternæ figite. Contemplamini infinitam Majestatem, & suauissimam pulchritudinem formæ Dei, quam postquam probati fueritis, visuri estis. Aperite penetralia cordis, & viscera vestra, ad potum aquæ purissimæ, è fonte viuo manatis, dilatae. Ego vos in sumitate Horreb erudiā, & per interualla, fessos recreabo: ut discatis quia melior est dies vna, vel etiā hora vna in atrijs meis, super millia. Ardebut corā me corda vestra, quasi lāpades ignis, atq; flāmarū: & fortissimus amor me° vincet fragilitatem vestram. Scio quia (ut olim Iacob seruus me°, cui fuit nōmē Israel) strictissimo amplexu tenebitis me, nequè recedetis, donec dulcissima benedictione mea roborete.

mini. Huc filij mei, per labores, & agones aspirate: & extensis brachijs desideriorum, ad suauissimæ Sionis altitudinem, per arctam viam ascendite.

C A P. X X I.

Hortatur ad pacem cordis querendam.

BEATI pacifici, quoniam dulcissimmonomine, & inæstimabili consolatione, filij Dei vocabuntur: neque vanè vocabuntur, quia per adoptionem infinita consolatione plenam tales erunt. Omnia in eis pacifica sunt: quia & anima, & corpus conuenerunt in vnum, & omnia pro captu suo, sitiunt ad Deum fontem viuum. Hæc est pax pretiosissima, quam dedi, & fidelissimo testamento reliqui discipulis meis quos mundus odit, & tanquam hostes suos persequutus est. Hæc est pax, qua electi mei gaudent in cælo, & pauci aliquot in terra: quia conuersatio eorum in Cælis est, & thesauros suos in cælo condiderunt. Pax hæc tam longè est à filijs huius sœculi, quam longè est à peccatoribus salus. Non enim est pax